

Dei didonr!

De

CONSCIENCIA IN GE- nere & in Specie.

DISSERTATIO ETHICA

quam

DEO DUCE ET AUSPICE

Publica placidæq; Philosophantium

Agonēſes ventilandam

Sub Præſidio

Clariffimi atq; Pereximij

DN. M. JACOBI BOLII,

Borufsi Facultatis Philoſophicæ Adjuncti,

Digniffimi, Fautoris atq; Promotoris ſui
obſervandi

ſubjicit

MICHAEL HÖRNIGK, Chemni-
cenſis Miſnicus. Aut. & Reſpond.

In Auditorio Philoſophorum

Horis Pomeridianis

Ad diem 17. Septembris.

✻[**]✻

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ typographicâ JOHANNIS HAKEN,

ANNO M. DC. XLVI.

Coll. diss. A
12, 48

a. XII. 48

V I R I S

Plurimum Reverendis, Clarissimis atq; Doctissimis,

Dn. M. VALENTINO Frommen / Ecclesiae
Brandenburgensis in novâ urbe & vicinarum Supe-
rintendenti & Inspectori dignissimo & vigilantissimo.

Dn. M. SEBASTIANO HOMILIO, Rei-
publicae Ecclesiasticae Chemnicensis & vicinarum
Superintendenti meritissimo ac vigilantissimo ceterisque
Sanctis & veritatis Evangelicae testibus insigni-
bus & fidelibus.

UT ET

Reverendo, Clarissimo nec non Doctissimo,

Dn. M. JOHANNI PROLI, Pastori in
Hohenstadt & Beyerßdorff fidelissimo, A-
vunculo suo charissimo.

Item,

Clarissimis, Pereximiis, & Doctissimis Viris,

Dn. M. JOHANNI MERKIO, Scholæ illustris
ad Moldam Rectori benè merito & fidelissimo cun-
ctisque ejus Gymnasij collegis.

Dn. M. DANIELI SIMONIO, Scholæ Bran-
deburgensium Rectori dignissimo.

Cunctis Dn. Fautoribus, Patronis, Promotoribus, Præceptoribus,
avunculo & affini suo singulari studio, pietate &
observantia reverenter & devotè colendis.

Hæc Thesata Esbica

submis.

offert & dicat

Autor & Respondens.





Ad Præstantissimum

DN. RESPONDENTEM.

NEmpè operosa docet tua dissertatio præsens
Quo studio evolvas scripta diserta Sophum.

Irrita erunt nunquam magna hæc conamina & ardor

Perge ut cæpisti; præmia digna feres.

gratulab. scr. m. lq.

M. Andreas Sennertus, P. P.

Perpetuos soles fregisti, Dulcis Amice

Dum tuamens voluit volvere scripta Sophum.

Perpete jam studiis Sanctis te credis amore,

Teg, juvat Sanctum volvere scripta virum.

Gratulor ex animo! Gratatur Patria, Docti

Gratantur; Pietas commoda mille ferat!

M. Casparus Schmidt/Tzschopans:

Eccles. Witteberg. Diaconus.

Dum veram taciti tractas sub pectore testis
Naturam, certè laus Tibi lauta manet.

Et sic si pergis, virtute mereris honorem.

LAURI, quam jamdum Turba Novena parat.

Leonhardus Fischer/Uffen-

hernio-Fr.

Τοὺς μὲν ὑπερβαίνουσας μεγαλόφρονος οἷσε ἐλαύνει
ἰδμοσιώης, βηλοῖο διελθόμεν ἄκρα μενοινάϊς,
ὄξυτ' ἀνιχνεύσαι τροχοειδῆς νέρτερα γάϊης,
καὶ περὶ τῶνδ' ἔριδος λογοδαίδαλα μῆλα περιβάλλειν.

Ων

ὄν ἔταρον κλέθ' ἀμφὶ κάρηνον ἀλάται ἀτειρές,
καὶ πόνον ἐκδέχεται θυμάρμον' ἀπονα διαμφίς.
οὐδὲ πειπλομένων πρὸ ἔργου κατ' ἀντυγα ὠρέων
πρώτω ἢ τ' ἐχθές. τῶνδ' ἐκπεσθόρας κεν ὁ ἄλλοι,
Εὐφραδέεσσι δ' ἴσοιο πεπαιμένθ' ἤτορ ἐρωαῖς.
τόσον ἐμοὶ πρεστέρων προφερέστερθ', ὅσον ἄρ' ἔνθα
Ἰσὸν Ἀθηναίης ἔξαιτον ἐτὸ ξατο, Δάφνης
τῶγ' ἀπαμειψαμένης ἐρικυδέα δῶρα προσῆπται.

Johannes Sagittarius, Roch-
litiô-Misn.

UT leo dum floret letatur monte jubatus,
Dumve dolet tristis, tempora mœsta gerit.
Tranquillam noctem, lucem, ducit sub amœnis
Cautibus & rugiens culmina celsa petit;
Sic mens virtutis peplo decorata subinde
Gaudet; sed vitis commaculata gemit.
Æquam anens scandit virtutis fama sacrata
Et cunctas retinet, prosperitatis opes.
Hornigk Calliope scrutatur sedula gnatham,
Hanc chartis doctis, Pallas amica dabit.
Hercule tu dextro precor istam jungo repertam,
Cui? Sophie Sacra; magna talenta vebes.

Martinus Tarnoczi, Beczkovia
Ungarus.

MICHAEL HORNIGUS,

^{ἀναρχάμ.}
LAUS CINGI MORE.

^{ἐξήγησις.}

LAUS erat insignis Victori tempora CINGI,
Hostem cum Patriæ vicerat arte sua.
Barbaries hostis literarum major habetur,
Quæ jam victa tuo Marte, labore jacet.
LAUS erit ergo olim viridanti Daphnide CINGI,
MOREq; Victoris ferre brabæa tibi.

Ægidius Franc, Misnicus.



//
WU3

De
CONSCIENTIA.

SECTIO PRIMA.

Aphorismus I.

CONSCIENTIA vi nominis est quasi ex **CON-**
SCIENTIA, estq; **VOCABULUM HOMONY-**
MUM & variè salutatur.

Rem ab ovo, quod dicitur, auspicaturi, nequaquam araneolarum inania texturos nos autumamus, si, priusquam realis definitionis telam exordiamur, de *ὀνοματολογία* propius aliquantulum videre sategerimus. Ut autem omnis definitio *ὀνοματιώδης*, ita etiã Conscientiæ constat *Etymologia*, *Synonymia* & *Homonymia*. Etymologiam quod concernit, vox Conscientiæ est Composita ex Con, hoc est, unã, simul, & scientia, quod homo non solus cogitationes, affectus, dicta & facta secum sciat, sed cum eo etiam multi alij. Hinc Germanis dicitur *Gewissen* / quasi *mittwissen*. Est enim Syllaba *Ge* in Compositione Germanica idem, quod apud Latinos *CUM*. Synonyma, quia Grammaticalia sunt, & ex quovis Lexico peti possunt, inquirimus. *Homonymiam* quod attinet, sumitur 1. pro *συντηήσις*, seu habitu illo principiorum practicorum, quem aliàs vocant Actum primum, 2. pro *συνειδήσις*, seu totã illã ratiocinatione, constante præmissis & Conclusionem, quam aliàs vocant Actum secundum. 3. pro rarione dictitante quid sit agendum, quid faciendum. 4. pro recordatione rerum gestarum

A

vel

vel omissarum. §. pro judicio factorum bonorum & malorum, præ-
miorum vel pœnarum. Nos, quia in Genere & in Specie con-
stituimus de Conscientia agere, has ipsas etiam, tam generales,
quàm Specialis acceptiones amplectimur: ita tamen ut quælibet
in suo circulo & centro maneat. In generali enim conscientia
tractatu omnes occurrunt.

II.

Conscientia est dictamen rectæ rationis, judicium &
reminiscentia.

Loco Genæ hîc ponitur 1. dictamen rectæ rationis, 2. judicium
3. reminiscentia; quia hæc omnia sunt actus intellectus, & pro-
priè pertinent ad Conscientiam. Hæc enim dictat quoad ac-
ceptionem primam & tertiam; judicat quoad secundam & quin-
tam; recordatur quoad quartam.

III.

Objectum Conscientiæ sunt Cogitata, dicta
& facta.

Hoc facillè patet. Quicquid enim Conscientia considerat, ad
tres istas classes optimè refertur. Omissis reliquis, assumamus
hîc tantùm usitatissimam illam conscientia (si modò ita est ap-
pellanda) distinctionem, ubi distinguitur in Bonam & Malam.
Bona conscientia nihil aliud considerat, quàm Cogitata, dicta &
facta Bona & Honesta, & hinc etiam veluti ex limpidissimo fon-
te omnis oritur & dependet mentis tranquillitas. Mala quoque
conscientia circa nihil aliud versatur ac circa cogitata, dicta &
facta mala: Hinc fit, ut etiam semper æstuet & fluctuet.

IV.

Subjectum Denominationis Conscientiæ est Solus Ho-
mo: Inhæsiōnis est Anima rationalis: Perfectionis
est Intellectus Practicus.

Conscientiæ Subjectum Denominationis est solus Homo.
Nullum enim aliud animal potest vocari conscientiosum seu
quod habeat conscientiam. Et hoc sequitur ex altero Subje-
cto, nimirum ex animâ rationali, in quâ, tanquàm in proprio sub-
domi-

domiciliò residet Conscientia: Jam verò in nullò animali aliò nisi in solò homine datur hæc ipsa anima rationalis. Tandem, quandoquidem intellectus practicus, quum accidens sit, Conscientiam ut accidens, sustinere haud possit; perfectionis tamen Subjectum est, quatenus nimirum ab eâ perficitur, consciendo, dictitando & judicando.

V.

Formale Conscientiæ est convenientia cum jure divinò & humanò.

Ut enim aliàs secundum axioma illud Physicum: Forma dat esse rei: ita quoq; totum esse Conscientiæ consistit in eo, ut omnia nostra cogitata, dicta & facta convenient cum lege seu jure divinò & humano. Ligant enim & vincunt hæc jura Conscientiam, ut secundum eam agat. De priori nulla est Controversia. Proficiscuntur enim à tali Domino, qui absolutam potestatem habet in Conscientias, quiq; ob violationem legis, totum hominem perdere potest. De posterioribus litigium fovent. Nos dicimus, idem jus quoq; obligare Conscientiam, quando sancitur à personâ summâ, quæ habet potestatem sancienti leges, & quando præcipit res licitas. Aliter verò cum sese habeat, Conscientiam neutiquam obligare potest. Quod etiam intellexerunt Gentiles: unde Antiochum III. Civitatibus scripsisse fertur, si quid per litteras juberet, legibus repugnans, ne curarent: perinde, quasi ipso nescio scriptum esset.

VI.

Finis Conscientiæ est 1. Dictare, 2. Testari, 3. Judicare, 4. vel Accusare vel Excusare.

Finis ultimus, qui est Gloria Dei, præsupponitur. Præter hunc, principales fines Conscientiæ sunt 1. dictare, h. e. pronunciare de faciendis & omittendis. Hinc benè salutatur Præco leges divinas & humanas proponens. h. e. suggerens homini, quid utriq; illi sit consentaneum vel dissentaneum, & in universum quid fieri vel non fieri in vitâ debeat: ut habet Clariss. Horneus, Phil. Mor. l. 3. c. 4. *Secundo testari*, nimirum de iis, quæ facta sunt. Vnde

A 2

Ger.

Germani in proverbio habent: Der zette vnter der linken brust /
wirdt dir's wohl sagen. Hinc etiam doctor ille Gentium Consci-
entiam expressè vocat Testimonium, 2. Cor. 1. v. 12. 3. *Judicare.*
Judicat enim etiam Conscientia, an benè vel malè aliquid fa-
ctum. Hinc bene *Basilius*: *Apud nos ipsos iudicium quoddam na-
turale habemus, per quod ab iniquis bona facile discernimus* 4. *Accusare*
vel Excusare. Postquam enim Conscientia de factis nostris testi-
monium dedit & iudicavit, bona ne an mala, tunc pergit, vel
accusando vel excusando. Accusat, cum non secundum dicta-
men legis divinæ & humanæ fecimus: excusat verò, cum omnia
se se rectè habent.

VII.

Causa Efficiens remota est Deus, proxima verò est incli-
natio naturalis ac discrimen honestorum &
turpium.

Causa efficiens remota, & finis ultimus, meritò præsuppo-
nuntur. Causa proxima est vis Naturalis seu inclinatio, quam qui-
libet homo sentit & habet ad amplectenda bona & fugienda ma-
la; & licet interdum contrarium experiatur, fit tamen propter,
ἀναξίαν quandam, quæ impedit, quò minus bona faciamus vel
mala intermittamus.

VIII.

Conscientia est Dictamen, iudicium & reminiscencia in-
tellectus practici, Cogitatorum, dictorum & factorum,
cum iure divino & humano consentientium, vel pacem
& tranquillitatem voluntatis & affectuum excusando,
erigendo & exhilarando, vel dolorem & tristitiam cru-
ciatusque acerrimos cordis, accusando & da-
mnando afferens.

Hanc definitionem, quia ex iam supra positis & explicatis
Causis suâ sponte fluit, uberiori explicatione indigere haud
spero.

IX.

Conscientia Dupliciter consideratur in Ethicis, vel ut
 summum Bonum antecedens, seu principium actionum
 humanarum; vel ut summum Bonum
 Consequens.

Fundamentum hujus considerationis diversae consistit in eo,
 quod Conscientia nostra partim sese extendit, ad opera nostra
 instantia seu facienda, dictando quid agendum sit, tanquam ho-
 nestum, quid verò omittendum, tanquam turpe & inhonestum.
 Dictat autem aliquando Conscientia de talibus instantibus certò,
 interdum probabiliter, interdum dubitat, hæsitat & fluctuat, in-
 ter dum etiam planè aberrat. Partim ad opera nostra præterita,
 eã vel commendando tanquam recta, vel accusando tanquam
 mala.

Priori modo considerata est judicium intellectus practici,
 quò facienda dijudicantur.

Ponit autem hoc judicium loco Majoris semper principium a-
 liquod Universale contentum in *συντηρησις*, E. g. Omne malum
 peccati est detestandum (principium) falsum testimonium est
 malum peccati, (judicium) E. falsum testimonium de quo nunè
 delibero, est detestandum. Et sic in omnibus nostris actio-
 nibus reliquis, semper nobiscum habemus *secretum aliquem Con-
 siliarium*.

Dividitur Conscientia hoc modo considerata, in Rectam,
 Errantem, Probabilem, Dubiam, & Scru-
 pulosam.

Divisio hæc est analogica. Non enim ex æquo omnibus spe-
 ciebus competit denominatio, tribus prioribus *πρωτως* primario
 & propriè, posterioribus verò duabus, non nisi *δευτερωτως* secun-
 dario & impropriè. Cum enim nihil certi definiant aut dictitent,
 sed potius dictamini obstant, de Conscientiæ autem Essentiâ sit.

ut quid dicitur, patet, proprie neutram harum Conscientiarum
speciem esse,

XII.

Conscientia recta est iudicium conforme legi tam divi-
næ, quàm humanæ, id faciendum, quod cum his legibus
consentit, id verò omittendum, quod cum iis pugnat,
dictitans. Obligat simpliciter, præcipiendo vel prohiben-
do, ut voluntas peccet, nisi eam se-
quatur.

Duo in hoc Aphorismo proponuntur 1. definitio, 2. Hujus quo-
que conscientie obligatio. Definitio cum sua luce radiet, ulte-
riorem ejus explicationem omittimus. Cum obligatione nobis
res erit, ut eam dilucidiorum faciamus. Diximus autem Con-
scientiam rectam obligare *præcipiendo & prohibendo*, ut voluntas
peccet nisi eam sequatur. Novimus enim ex superioribus quod
Dictamen hujus debeat 1. *cum lege divinâ congruere*. Qui au-
tem non facit, quod lex divina imperat & mandat, ille extra o-
mnem Controversiam peccat, 2. *Cum lege humanâ*. Contrà hanc
autem qui facit quoque peccat. Quodcumque enim Magistratus su-
premus, qui est Dei ordinatio & Minister, mandat, de rebus li-
citis, illud minimè est negligendum. Hinc Apostolus Rom. 13. ait,
necessariam esse subjectionem *ἧν τῷ κυρίῳ* propter Consci-
entiam, nimirum ne sauciatur. Idem iudicium sit de prohibi-
tione hujus Conscientie. Ubi tamen benè notandus Modus
imperandi, & Personæ, quibus imperatur. Modus potest dari
multiplex, Vel enim aliquid simpliciter faciendum præcipit tan-
quam factu necessarium, vel suadet aliquid faciendum quia fa-
cere hoc vel illud melius fit, quàm omittere. Deinde vetat quo-
que Conscientia recta interdum aliquid tanquam rem necessariò
fugiendam; vel dissuadet aliquid tanquam rem non planè illici-
tam, sed ita tamen comparatam, ut melius sit eam omittere,
quàm facere. Personæ, quibus Conscientia Recta aliquid di-
ctitat in duplici ponuntur differentiâ. Sunt enim vel sui juris,
& rem suo remigio gerunt; vel sub potestate alterius & rem ex al-
terius

terius superioris mandato peragunt. Illos oportet facere quod Conscientia Recta simpliciter præcipit. Sic quando Conscientia Recta tali homini diviti præcipit, pauperibus esse benefaciendū, tenetur tanè obedire huic mandato. Non enim impeditur vel à superioris alicujus autoritate, quia penes eum est; vel ab egestate seu inopiâ, nî facit, obligatur à Conscientiâ. Isti verò caveant, ut aliquid contrâ superiores fiat. Exempli gratiâ. *Adeat pauper aliquis quaestorem & petat ab eo, ut liberalitatem loco principis erga se exerceat; hîc conscientia Recta præcipit quidem huic quaestori, isti homini à fortunâ ita devexato, benefaciendum esse: Verum, quia divitia quibus præest non suæ sunt, meritò excusatur nec à Conscientiâ obligari potest.* Idem applicetur prohibitioni hujus Conscientiæ. Quicquid enim Conscientia Recta homini, qui sui juris est, vetat, id eum oportet omittere: sin autem sub alterius potestate est, & rem aliquam à Conscientiâ Rectâ vetitam agit, tunc distinguendæ iterum sunt personæ, interdum enim fit, ut alicui à superiori Magistratu Judicis officiū injungatur, interdū ut aliquis Exsecutoris partes tueatur. Ille non potest excusari, quando quid contrâ Conscientiam rectam facit; hic aliquo modo: e.g. *babeat Regio aliqua Magistratum Tyrannicum, qui flagraret odio adversus Nobilem quendam, mandetq; Consistorij sui Assessoribus, ut istum hominem condemnent. Isti Assessores, quia debent esse Judices rem prius examinent, cum culpam nullam propter quam possit condemnari invenerint, tunc illas à Conscientiâ illum condemnare haud queunt. Deo enim Magis obediendum quàm hominibus. Si autem Tyrannus hoc statim mandaret Carnifici, qui Exsecutoris habet officium, non verò Judicis, Carnifex quodq; nesciret causam, an justa vel injusta, potest hic rem executioni mandare etsi injustam.*

XIII.

Conscientia Erronea est Judicium dictitans, id faciendum aut omittendum esse, quod faciendum aut omittendum non est. Obligat voluntatem, ut peccet, quoties cunq; agit, vel juxtâ, vel contrâ illam.

Hæc

Hæc ipsa Conscientia dupliciter dici videtur vel privativè vel positivè. Privativè, quatenus opponitur Conscientiæ Rectæ; & sic suo ambitu includit omnem Conscientiam, quæ non rectè judicat, cū debet: Quo sensu etiam dubia & scrupulosa, Conscientiæ errantes dici possunt. Positivè, quatenus illam designat Conscientiam quæ aliter quidem judicat, quàm res est; per assensum tamen firmum, quem præbet alteri quæstionis parti, à dubiâ & scrupulosâ distinguitur. Posterior acceptio nostræ jam considerationis est. Ad percipiendum sensum obligationis genuinum in antecessum notamus, quod error de re aliquâ possit esse 1. vel vincibilis, ut pote cū erramus in aliquâ re, ubi non debebamus, sed quam simpliciter scire tenebamus, vel invincibilis, quando erramus in ijs, quæ scire non poteramus. 2. Vel de re per se bonâ aut malâ vel indifferenti. Error de re per se malâ est E.g. Si quis existimaret Magistratum Tyrannicum propter salutem Reipublicæ & Ecclesiæ interficiendum esse. Per se enim malum est, privatâ vindictâ aliquem occidere. Error de re indifferenti est. E.g. Si quis putaret; Homini Christiano planè non licere occidere. Occidere enim & non occidere licet. Obligationem ipsam quod attinet, diximus, peccare tam qui juxta, quàm qui contra eam agat. Quando enim Objectum voluntatis est bonum ac malum, non quomodocunq;, sed prout est in apprehensione rationis. Ratio autem apprehendat aliquid ac voluntati proponat, tanquam bonum Morale necessarium ac præceptum, etsi reipsâ bonum non sit, sed malum: Voluntas illud respuendo, consentit in transgressionem legis. v.g. *Judicet aliquis ex errore, licitum esse mentiri adversus alterum ad conservationem vitæ propriae aut proximi: ille obstrictus tenetur, ita ut neq; mentiri possit neq; abstinere à mendaciô. Sin verò aliquis putet esse mentiendum ad vitam alterius servandam stante hypothese hac, si non mentiatur, cū mendacio suo alterius vitam servare potuisset, gravius peccat, quàm si mentitus fuisset, & ita vitam alterius servasset.* Atq; sic mentiendo (quod tamen optimum ipsi videbatur) peccat contra ipsum Dei mandatum Exod. 20. v. 16. Iterum si ratio apprehendat aliquid, & voluntati proponat tanquam moraliter malum ac prohibitum, et-
si re-

si reipsa malum non sit sed bonum ac honestum; Voluntas illud amplectendo Consentit in objectum malum & prohibitum, adeoq; peccat. Verum longè alia ratio est obligandi erroris vincibilis & invincibilis. Vincibiliter qui errat, peccat tam cum juxtà, quàm cum contrà errorem talem facit. Nec obstat; quòd aliquis dicat, hominem ità necessario peccaturum sive Conscientiam suam erroneam secutus fuerit, sive juxtà præscriptum legis contrà Erroneam conscientiam egerit. Aliud enim datur adhuc evadendi medium, depositio nimirum erroris. Hinc bene monet Clariss. Hornejus lib. 3. Phil. Moral. c. 4. dicens: *In talis errore opera danda est ut error exsuatur, quod fieri utiq; potest, quia vincibilis est. h. e. aut est affectatus aut ex negligentia profectus, quia satis accurate, in rem inquisitum non fuit. Unde totum negotium, in quo erratur, diligentius excutiendum est quàm antè factum erat, ut rectius judicium tibi formes, atq; ità Conscientiam errore, ac te culpâ liberares. e. g. Si ratio apprehenderet & statueret, Magistratum legitimum propter salutem Reipublicæ esse interficiendum, hoc proponeret voluntati tanquam rem moraliter bonam, necessariam ac præceptam. Voluntas autem, cum hoc respuit & contrà facit, consentit in transgressionem legis. Contemnit enim id; quod antea judicabat præceptum esse: sin verò ratio apprehenderet & statueret aliquid tanquam rē moraliter malā ac prohibitā, licet bona ac honesta sit; voluntatiq; ità proponeret, hæc verò juxtà hanc conscientiam errantem faceret, consentiret certè is in rem malam & prohibitam adeoq; peccaret. Invincibiliter verò qui errat, & in re indifferenti, peccat qui contrà, non tamen qui juxtà eam agit. Error enim invincibilis quia moraliter vitari non poterat, neq; voluntarius est, ad culpam ità non imputatur: e. g. Ex pecuniâ alienâ vel male partâ Eleemosynas elargiri prohibitum est. Douc. 23. v. 18. Syr. 34. v. 21. Sed tamen, si quis nesciret, pecuniam, quam bona fide possidet, à Parente male acquisitam esse, is si ex eâ pecuniâ Eleemosynam daret, vel aliquâ Deo dicaret, non peccaret, sed bona conscientia frui pergeret, non quat. ex male acquisitis fuit liberalis. Hoc enim nescivit, sed quia scit, sublevationem pauperum esse opus misericordie Deoq; gratum.*

XIV.
Conscientia Probabilis, est cujus iudicium de re aliqua certum non est, sed tantum opinionem concipit & in unam partem ob rationabilem electionem probabiliter inclinatur, cum formidine tamen oppositi, obligat plane ut recta; ita ut recte faciat, qui juxta eam facit, male, qui contra.

Dicitur hæc conscientia probabilis, quia probabiliter de una re iudicat, non rejecta altera, tanquam falsa, vel assumpta, tanquam vera, sed etiam probabiliter, ita tamen, ut id, quod apprehendit, sit probabilior. Hinc alias optime salutatur opinio, quæ est animi sententia incerta & non carens formidine oppositi. Fieri enim potest, ut licet uni parti quæstionis opinativè assentiatur, nihilominus alteram contradicentem probabilem iudicet. Hinc modus ille loquendi est improprius, quò dico; Propositio hæc verior est quàm ejus opposita, cum dicendum sit: Hæc propositio probabilior vel verisimilior est, quàm ejus opposita. Ex his igitur patet; & assensum unius partis & formidinem alterius ad constituendam Conscientiam probabilem requiri. Prius enim nō datur, non esset probabilis, sed dubia Conscientia; posterius si adest, non erit probabilis, sed Recta cōscientia. Ad Obligationem quod spectat, dixi, obligari hanc plane, ut Recta, ita ut recte faciat, qui juxta eam agit, male, qui contra. Nunquā n. licet, contra propriam opinionem, vel certam vel probabilem agere, propter aliorum hominum auctoritatem. Ubi tamen diligenter notandæ veniunt sequentes distinctiones: 1. quod opinio de re aliqua una sæpe sit magis tuta, sed minus probabilis, altera magis, probabilis, sed minus tuta. Hic melius facit qui sequitur tutam & tutiorem, quàm qui probabilem & probabiliorē. In illo enim peccare potest, in hoc non. 2. Opinio Probabilis potest oriri vel ex principiis internis, quæ ex ipsa rei naturâ petuntur, vel externis, quæ sunt auctoritas prudentiorum & doctiorum. In his facile peccatur in illo verò non. 3. Conscientia Probabilis oritur apud hominem qui est sui juris, vel qui est sub alterius potestate. Ille non debet

VIX 8

debet facere contrâ propriam opinionem ; hic verò tenetur etiam
contrâ propriam opinionem id amplecti , quod superiori visum
est, modò & illud non sit improbable.

XV.

Conscientia dubia est, cujus iudicium neutri parti quæ-
stionis, de quâ agitur, assentitur, sed planè hæret aut hæ-
sitat intrâ sensum & dissensum. Ex hac Con-
scientiâ quisquis agit, peccat.

Conscientia dubia nihil certi proponit. Semper enim secum
pro & contrâ disputat negotium, nec tamen sibi ipsi constat, u-
tri parti accedendum, sed semper anceps hæret, quia majorem
convenientiam extremorum non videt in unâ contradictoriarum
quâm in alterâ. Quod autem posuimus, peccare eum, qui ali-
quid ex tali Conscientiâ dubiâ faciat; exinde lucet 1. quia talis sese
exponit periculo peccandi. 2. quia hoc pacto in peccatum consen-
tit & illud vult. 3. Quia hoc ipsum Divus Apostolus Paulus Rom,
14. v. ultimo, affirmat; dicens: qui dubitat, si ederit, condemna-
tus est. Medicina huic adhibetur; si diligentior adhibeatur in-
quisitio: ut, quantum possumus, veritatem nobis acquiramus, du-
biumq; removeamus. Si forsân per nosmetipsos non valeamus;
alios, quorum copia fuerit, & in primis doctos consulamus.

XVI.

Conscientia scrupulosa est cujus iudicium in quæstione
circa suam praxin pertinente uni parti propter aliquas
causas adhæret, sed quia contrariis argumentis movetur,
scrupulum accipit & formidinem, adeoq; anxietate tor-
quetur, & quid faciendum sit ignorat. Hæc

Conscientia propriè non obligat.

Conscientia hæc dicitur scrupulosa, per metaphoram quan-
dam. Scrupulus enim aliàs propriè loquendo, est lapillus exigu-
us in calceo latens, qui pedem excruciat: Sic etiam scrupulus in
animo interdum exiguus & levis Conscientiam maximè vexat &
excruciat, ut nesciat interdum; num legitimè aliquid faciendum
vel omittendum. Potest autem talis scrupulus esse vel rationa-

bilis vel irrationabilis. Ille est, qui ob rationem aliquam aliquid censet probabilius faciendum vel omittendum. In tali scrupulo rectè facit, qui ejus rationem habet, etsi ad id non obligatur. Hic est, qui ex nullâ ratione probabili oritur, sed vel ex insitiâ vel ex suggestionem Diaboli, vel ex melancholiâ, vel aliunde. Hic negligendus est, & quantum fieri potest animo ejiciendus, si autem non possit removeri, quin adhuc molestus sit, tunc licitum & consultum est, agere contra istiusmodi scrupulos. Scrupulus enim non est Conscientia vel dictamen intellectus judicantis, contra quod agere nunquam licitum est; sed tantum vana apprehensio, cui intellectus judicativus, ipsaq; voluntas, resistere potest ac debet. Atq; sic rectè ponitur. Neminem per Conscientiam scrupulosam obligari. Et tantum de Conscientiâ quatenus Summum Bonum antecedit.

XVII.

Conscientia Posteriori modo Considerata est judicium & reminiscencia, de suo facto vel benè, vel malè gesto.

Hujus species tantum una est, nimirum,
bona Conscientia.

Suprà posuimus Conscientiam in Ethicis dupliciter considerari, 1. quatenus summum bonum antecedit de quibus hætenus prolixè disputatum. 2. quatenus summum bonum consequitur. De quâ ultima acceptione jam agendum: Nititur autem hoc fundamento. Si judicium intellectus non tantum versatur circa faciendâ, sed etiam circâ facta, (ubi judicat, num bona vel mala aliquid factum) sequitur non tantum dari priorem, sed etiam posteriorem acceptionem. Sed prius est E. & posterius. In hoc sensu Conscientia vocatur testis, & in proverbio communi mille testis, item. Liber, quoniam in mente hominis seu Conscientiâ quasi in tabulis obsignatis conscriptum relinquitur quid & quò animò hoc vel illud factum sit, quod etiam tandem à Conscientiâ legitur & pronuntiatur.

XVIII.

Conscientia Bona est judicium & reminiscencia rectè

co

cogitatorum, dictorum & factorum, cujus actio consistit in excusando & exhilarando.

Dicitur hæc Conscientia bona, non bonitate transcendentali, seu Metaphysica, neq; bonitate Theologica, sed bonitate morali seu Ethica. Et hoc quidem tum ratione causæ Efficientis, quæ est summum Bonum Practicum; tum ratione Objecti, quod est bonum Morale seu cogitata, dicta & facta bona; tum ratione Subjecti, quod est vir bonus. Esse autem hanc quoq; Conscientiam judicium, ex eo patescit, 1. quia quoq; est actus intellectus, 2. quia etiam judicat non quidem de faciendis, sed de factis & præteritis. Non autem est judicium simplex, sed conjunctum cum reminiscentiâ. Judicium enim de re aliqua facta prærequirit rei ipsius memoriam, ut quoties debeat judicare, toties res illas in memoriam sibi revocet oportet. Jam autem Conscientia hæc tam in prosperis quàm in adversis, de suis factis bonis sæpius judicat, semper itaq; etiam debet adesse reminiscentiâ, rectè cogitatorum, dictorum & factorum. Differentia desumpta est ab Objecto, & Effectu bonæ Conscientiæ. Objectum sunt rectè cogitata, dicta & facta. Effectus est excusare & exhilarari. Excusat quando mala male voli homines de eo fingunt. Hinc salutatur animi Lectus in quo habet homo quietem, & in quo bonus homo dulciter quiescit. Exhilarat & solatur in adversitate, ne homo profusus deficiat, dum mala patitur, vel injustè premitur. Hinc salutatur Levamen in adversis. Hæc enim, quia tranquilla est, satis amplam præbet gaudendi materiam.

XIX.

Oppositum Bonæ Conscientiæ est Conscientia mala, quæ est judicium & reminiscentiâ, malè cogitatorum, dictorum & factorum, cujus actio consistit in excusando & cruciando.

Opponitur Conscientia mala Conscientiæ bonæ non quidem ratione suæ naturæ, quasi in se & ratione sui mala sit. Non enim ea a bonitate destituitur, quippe, quæ pariter est judicium & reminiscentiâ, quod probatur ex superioribus fundamentis; sed

A 3

ratione

ratione Objecti, quod est malum cogitatum dictum & factum, ut & ratione subjecti, quod est homo mala perpetrans. Effectus hujus est excusare. Ut n. Bonæ Conscientiæ est excusare: ita contra malæ est accusare; id quod exprimit vulgaris ille versiculus: *Nunc damnat, nunc excusat mens conscia facti.* Et benè Admodum Rev. Senior. D. Jac. Mart. in Compendio Eth. c. 4. dicit: *Mille testis Conscientia si quid mali designaris, quem effugere neq; ulliæ Sophistæ calliditas, neq; ullius Tyranni violentia potest:* Et Wendlerus, in disputatione quâdam de Summò Bono: *Etiamsi mala agens clausis parietibus sit opertus tenebris, sit sine teste, sine conscio, habet tamen facti arbitrum intra se, quem nihil fallit, ad quem facta clamant omnia.* Inde fit; ut unusquisq; animum suum severum Judicem, sui ultorem sceleris & vindicem criminis secum circumportet. 2. Est cruciari. Quando enim homo quidquam commiserit malum, tunc incipit Conscientia testimonium de hac re mala ferre, hoc testimonium edit cruciatus acerrimos. Hinc Conscientia mala meritò appellatur Furia, quæ semper verberat & flagellat hominis animum, ut in solitudine quoq; auxilia sit, neq; vigilis, neq; quietè sedare possit. Et tantum de præceptis doctrinæ de Conscientiâ. Sequitur

SECTIO SECUNDA.

Continens, Quæstiones & Porismata Generalia ex his ipsis præceptis fluentia.

QUÆSTIO I.

An de Conscientiâ in Ethicis sit agendum?

Affirm. Ob sequentes rationes. 1. quia Conscientia facit ad acquisitionem Summi Boni. Monstrat quippe viam & media quomodo ad summum hoc felicitatis culmen pervenire possimus. Nimirum per consecrationem actionum bonarum & per fugam turpium. 2. quia ultimæ hujus beatitudinis consequens est. Cum enim de fine ultimò totius Ethices actum sit, tunc exactioris cognitionis gratiâ, de immediato ejusdem effectum vel consequente agitur. Nec obstat doctrinam hanc etiam ad Pneumaticam, quæ Disciplina post tractationem generalem de Spiritu, quatenus nimirum

mirum lumine naturæ est cognoscibilis, de Intellectu, cuius
Conscientia notitia & actus est, præcepta tradit; item ad Theo-
logiam pertinet. Potest enim aliqua res *quoad Materiale*, in diver-
sis disciplinis considerari, non verò *quoad Formale*.

QVÆST. II.

An Conscientia Famæ præferenda?

Affirm. 1. Quia Conscientia est nostræ potestatis & solis bonis
competit. Hæc ab aliorum opinione dependet & pro hominum
iudicio & dicacitate est variabilis, malis etiam competit sæpissi-
mè. 2. quia illam qui sectantur perpetuo tenore virtutem colunt,
nec errant: hæc verò qui amant impensius, facilè arrogantia
vento abripiuntur in aviâ, & spe suâ ita non rarò excidunt. 3. Quia
illâ testimonium præbet apodicticum vitæ antea actæ; hæc fallax
est multa secus ac gesta sunt effugiens. Juxtâ illud Maronis: Fa-
ma est. *Tam ficti præviq; tenax, quam nuntia veri*. 4. Quia illa secu-
ra est, & quiete suâ gaudet, ridet famæ mendacia, nullaq; re ad-
versâ movetur. Qui enim interno isto iudice probus audit, quid
addent aut subtrahent ei vani sermones & rumusculi? *Nil conscire
sibi nullâ pascere culpâ mirus est abeneus*. Vir Probus enim licet a-
pud malos famam sibi invidentes malè audiat, suum facere potest
illud Senecæ in se religiosum: *Malè de me loquuntur homines, sed
mali: moverer, si de me M. Cato, si Lælius sapiens, si alter Cato, si duo
Scipiones ista loquerentur, sed malis displiceri laudari est; non potest
ullam auctoritatem habere sententia, ubi qui damnandus est, damnat*.
Hic obstat quod Fama cum vitâ pari passu ambulet, ut constat ex
trito illo Philelphi in Satyr: *Omnia si perdas famam servare memen-
to, quâ semel amissâ postea nullus eris*. Et ex ille Plautino: *Ego si bo-
nam famam mihi servasso, sat ero divës*. Hæc n. & similia bonorû
Autorum effata non tam sunt probationes, Conscientiam post-
ponendam, quam tantum encomia, quod nimirum neutrà
præposterè sit negligenda.

QVÆST. III.

An iudex debeat judicare, secundum acta & probata, an
verò secundum Conscientiam?

Mediam

20 Mediam hinc viam incedendam esse statuo ; ita scilicet , ut ju-
dex non semper secundum acta & probata agat , neq; etiam sem-
per secundum Conscientiam. Si enim semper ageret secundum
acta & probata , fieri posset , ut aliquando innocentem damnaret ,
Posset enim Rabula aliquis falsè allegare & detorquere leges ,
seu jura civilia , atq; sic etiam interdum peritissimo Judici fucum
facere , ut sic ratione officij sui enormiter peccare cogatur. Neq;
etiam debet semper agere secundum Conscientiam. Hæc enim
præcipit Misericordiam esse exercendam etiam contra inimicos ,
si jam eam semper vellet sequi judex , nullum maleficum damna-
re posset , id quod malè actum quilibet facilè videt. Media igitur
& tertia via in talibus casibus incedendum ; ut neq; absolvat
convictum neq; condemnet innocentem , sed officium judicandi
alteri committat. vid. Scheürlij dissert. Mor. 6. Thes. 19. & sequ.

QVÆST. IV.

25 An facultates alteri per vim ereptæ aliquis bonâ Conscien-
tiâ emere possit?

Negatur. Hoc ipso malo , quia nostro ævo perversissimo , ubi bel-
li incendium nimis in crebuit nihil fermè communius est , quam
ut hoc modo , homo homini semper sit lupus , laborem haud
supervacaneum poni puto , si hæc quæstio diligentius examine-
tur. Negamus autem prorsus 1. Quia hoc ipsum factum est con-
trâ S. Scripturam , utpote , quæ vehementer accusat illos , qui ra-
pinam pauperis in domo suâ alunt. 2. Contra leges humanas , quæ
requirunt ut pretium pretio æstimetur , & venditor legitimus sit
Dominus , & quæ sunt alia. 3. quia hoc pacto ad peccandum a-
lijs fenestra ampla aperitur. Nam juxtâ illud : wo kein hähler wehre
so wehre auch kein stähler. Unde Eleganter Antonius Fernandes
de Moure : *Res non habet meliorem statum in manu emptoris male
fidei , quam furis. Nam saltem habet æqualem , quia uterq; fur est ;
imò peiorem & c. in Theol. Moral. part. 1. c. 18. de furto. Objectiones
& earum resolutiones disquisitioni relinquimus.*

Porismata.

1. Qui operatur secundum opinionem , quæ sibi videtur improbabilis ,
ille peccandi periculo se exponit.
2. Si opiniones sint æquè probabiles , licet agere juxta quam earum libet.
3. Si in rebus magni momenti certa sententia habetur , probabilis opi-
nio deserenda est.

E I N I S.

Coll. diss. A. 12, misc. 48